



Stephanus Dei gratia Rex Poloniae, Magnus Dux
Lituaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviae etc.
Princeps Transilvaniae

Rex Poloniae Possevino in Moscoviam profecturo litteras
passus se daturum fore.

Reverendissime sincere nobis dilecte. Cum ni-
hil antiquius semper habuerimus, quam ut
sanctae Sedi apostolicae in omnibus obedi-
entiam, observantiam, ac promptitudinem no-
stram declararemus, libentissime fecimus, ut
et Patri Possevino, et internuntio Moscorum
ad postulata Sanctissimi Dni Nostri primo
quoque tempore litteras nostras salvi condu-
ctus in Moscoviam daremus, non quod intel-
ligamus ut tyrannus iste catholicae religioni,

et ipsi Christianitati ea legatione aliquid
emolumenti adferet, ab ea enim semper
fuit vehementer alienas, sed ut Sua San-
ctitas accipiat, nihil eorum a nobis Desi-
derari posse, quae ad catholicam religio-
nem promovendam, ac testandam no-
stram obedientiam, et optimam gratifi-
candi voluntatem erga suam Sanctitatem
a nobis proficisci possunt. Quare Cubicu-
lario nostro istas litteras valeri conductus
sinceritati vestrae deferre jussimus, qui, si
ita illi videbitur, eadem Vratislaviae Pa-
tri Possevino reddet. Datum Vilnae die
xii. Maji. Anno Domini M DLXXXI. Regni vero
nostri sexto.

Stephanus Rex

Descriptum et recognitum ex litteris autographis a Stephano

Poloniae Rege ad Joannem andream Caligari Episco-
pum Brittoniensem, Nunciam aplicum apud ipsam Regem
missis, tomo 80. Nunziaturae Polonicae insertis, pag. 236. quae
adservantur in Tabulariis Secretioribus Vaticanis. In
quorum fide[m]
Dabam[us] XVIII. Kalendas Augusti MDCCCXXVII.



A. N. N. N.
Tabul. S. C. E. Prefectur[ae]

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Extensive handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Handwritten text at the bottom of the page, likely bleed-through from the reverse side.